Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
CORROSIVORVM NATVRA, VSV & ABVSV,

CONSENSV AC AVTORITATE
ILLVSTRIS AC GRATIOSISSIMÆ FACVLTATIS MEDICÆ
IN ALMA SALANA,
PRÆSIDE
GEORGIO VVOLFFGANGO VVEDELIO,
HÆREDITARIO in Schwartza/
MEDICINÆ DOCTORE, COMITE PALATINO CÆSAREO,
CONSILIARIO ET ARCHIATRO DVCALI SAXONICO,
THEORETICES PROFESSORE ORDINARIO,
FACVLTATIS MEDICÆ h. t. DECANO,
PATRONO, PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SVO SVBMISSE SVSPICIENDO,
PRO LICENTIA,
INSIGNIA ET PRIVILEGIA DOCTORALIA, MORE MAIORVM, LEGITIME CONSEQVENDI,
PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBIECTA
a
DANIELE MARTINI,
MODRA HVNGARO,
IN AVDITORIO MAIORI,
Horis ante- & pomeridianis,
A. D. *Iunii*, ANNO CIↃ IↃC IIC.

IENÆ, TYPIS CHRISTOPHORI KREBSII.

VIRO
GENEROSO AC NOBILISSIMO
DOMINO
ALEXANDRO MARTINI,
PARENTI PIO OBSEQVII CVLTV
AD CINERES DEVENERANDO
DISSERTATIONEM HANC INAVGVRALEM
IN
DEBITVM PIETATIS MONVMENTVM
PARITER AC
INFVCATAM AMORIS TESSERAM
EX OFFICIO
SACRAM ESSE CVPIT
FILIVS OBSEQVIOSISSIMVS
DANIEL MARTINI.

I. N. I.

PRÆFAMEN.

ELeganter non minus ac ſcite *Seneca l. 1. de ira c. 5.* cum, quæ medico in conſeruanda aut potius reſtituenda ſanitate obſeruanda occurrunt, recenſuiſſet, nec vlla, *inquit*, dura videtur curatio, cuius ſalutaris effectus eſt.

Enimuero nihil aliud hic vel innuitur, vel ſubſumi poteſt, quam actiuitas medicamentorum. Duro nodo durus debetur cuneus, ſeu extremis morbis extrema exquiſite debentur remedia *1. aph. 6.* Quid vero magis actiuum, magisque ſic durum eſſe queat ipſo igne? Vnde illud *Hippocraticum* merito huc pertinet *8. aph. 6.* quæ medicamenta non ſanant, ferrum ſanat; quæ ferrum non ſanat, ea ignis ſanat, quæ ignis non ſanat, ea incurabilia judicare oportet.

At at non ſola huius commatis eſt pyrotechnia chirurgica, quæ igne actuali abſoluitur, potentialis non minoris fere virtutis eſt, licet actu frigidus; imo diffuſiſſimus vterque.

De hoc itaque ſub CORROSIVORVM titulo agere impræſentiarum conſtituimus, id quod vt DEVS Optimus Maximus feliciter euenire iubeat, deuote oramus.

CAPUT I.

De
Corrosiuorum Natura.

Corrosiuorum naturam dum intimius euoluendam in nos suscipimus, haud incassum fore existimamus, si ante, quam ad ipsius rei definitionem nos accingamus, NOMEN, tanquam commune rerum inuolucrum ac signaculum, paucis prius excusserimus.

Enimuero attendi merentur tum in se, quid notent designentque proprie, tum in ambitu suo, vt distincti modi, gradus & nomina quoque curatius pateant. Quod itaque attinet nomenclaturam hanc, eiusdem consideratione statim elucet mechanica eorundem, vberius hinc delibanda, desumpta metaphora ab animalibus cumprimis minoribus. Est enim murium hoc vnum opus, verbis *Tullii l. 2. de diuinat.* rodere, arrodere, vel corrodere, quando obiecta hæc illa dentibus minutatim discerpunt, & motu hoc incisorio in minimas particulas redigunt. Incurrit sane in sensus, quam minimis particellulis visantur coria, lintea, panni ipsi & alia a muribus dissociata, vt sæpe id mirum videri possit.

Hinc & dens dente rodi dicitur mutua eaque crebriori & continuata confrictione, vtroque detrito, etiam citra intercedens medium in quod agat. Idem vero & alio exemplo ex eodem hoc regno illustrari potest, subtiliori adhuc in suo genere mechanica, teredinum puta, quæ ligna corrodunt ac perterebrant in alcohol, quod vocant, seu puluillum farinaceum, vt vix contusione alia vel rasura idem consequi queamus. Imo hæc ipsa non parum lucis addit corrosioni huic, siquidem & fera-

rum

rum roditur rubigine ſcabra, teſte *Naſone* & experientia. Tacemus intertriginem, quæ & ipſa roſionis & corroſionis quædam eſt ſpecies, contactu mutuo motu producto & defrictione.

Ad hunc ergo modum etiam corroſiua, medicamenta puta, concipienda ſunt dicta ac expreſſa. Corrodere vero h. l. idem notat ac perrodere, vnde & ſimili metaphora dicuntur *καταβιβρώσκειν*, *exedere*, *deuorare*, quod hoc fiat prævia comminutione per maſticationem. Omittimus moralem acceptionem, qua fama rodi dicitur, & affectus vehementia, curæ nominatim, corrodere viſcera & oſſa.

Aſt vt hæc non inutiliter præmiſimus, ita non minus æquivocatio dilucidanda, & remouenda ſunt dubia, quo clarior ſit acceptio. Pertinent enim huc, & eadem cum hiſce ſunt, *cauſtica*, ab adurendi virtute dicta, *eſcharotica*, quæ cruſtam inſtar adurentium inducunt, *cathæretica* ipſa, ſi cum depaſcentibus eadem intelligas, & inprimis *ſeptica*, imo ipſa *rubefacientia* & *veſicatoria*.

Verum eſt, ſtrictius accepta corroſiua ſi non ab omnibus hiſce, plerisque tamen, audire & haberi communiter contradiſtincta, cum ſeorſim v. g. præſcribantur hæc illa pro ſuis vſibus, quos nomina præ ſe ferunt, citra corroſionem plenariam. Aſt conſultius longe & rei conuenientius videtur, diſtinguere quidem hæc & intimius noſſe ſingula, nihilominus vero corroſiua latius accepta habere loco generis, ſub quibus reliquæ velut ſpecies ſubordinatæ militent, ita enim facilius omnia patent.

Corroſiua hinc ab vſu generali *καθ' ἐξοχὴν* dicta, vt omnia laudata, ab effectu, reuera vix differunt, niſi gradu, & modulo texturæ ſeu particularum. Rubefacientia fortiori gradu fiunt veſicantia, hæc corroſiua. Ex-

emplo ſint cantharides, ſi maiori doſi vel interius propinentur, vel exterius applicentur. Qui cantharides hauſere, experimento *Dioſcoridis*, πάντα δάκνεσθαι δοκεῖ αὐτοῖς, *omnia ipſis erodi videntur. l. 6. c. 1.*

Operæ pretium hinc eſt, conſiderationi eadem ſubiicere quoad phænomena & affectiones non vnas, ſeu circumſtantias & modos mechanicæ, prout ſenſibus & viribus ſe offerunt diſtinctius. Sic

(1) *Alia ſunt proprie, perfecte & complete talia, alia imperfecte*, ἀκύρως *magis, & incomplete.* Illa virtute integra partibus applicata fibrillas diſcerpunt, annihilant, eaque præſtant, quæ vberius per totum dicemus. Hæc ſunt a priori, quæ partes ſalinas habent obtuſas magis, modo terreis cumprimis, vt alumen vſtum, æs vſtum, cornu cerui vſtum, & alia: modo ſulphureis, vt pyrethrum, euphorbium; a poſteriori, quæ partibus magis diuiſis, vt vlceribus, quam integris applicantur, aguntque extergendo & abſumendo, ob virtutem ſalinam aut explicitam aut implicitam.

Quod ſi vero ſcapham ſcapham nominare velimus, & ſequi ipſos medicorum principes, rectius dicuntur cathæretica *exedentia.* Ita καθαιρετικὰ, iuxta *Galenum*, ſunt τὰ καταςαλτικὰ τῶν ὑπεραυξηθέντων, *reprimentia excreſcentius*; ſeu carnes luxuriantes, ſeu καθαιρεῖν ipſi dicuntur τὰ ὑπεραυξανόμενα, καὶ τὴν ὑπερσάρκωσιν, ἀντὶ τοῦ καταςέλλειν, *abſumere excreſcentias & hyperſarcoſin, loco reprimere.* Sic & *Celſus l. 2. c. 21.* omentum ex vtero (ita vero vocat ventrem) prolapſum illinere iubet medicamentis, quæ ſic exedunt ne erodant, σηπτικὰ Græci vocant, quamuis aliter quoque illa explicari queant. Ex quibus patet cathæretica proprie dicta eſſe corroſiuis longe imbecilliora, nec in altum ſubi-

re

re valentia, quæ si non attendantur, manifestam pariunt confusionem. Fluit ergo ex his porro

(2) *Alia magis superficiem extimam, seu cuticulam, alia cutim & subiectas partes tectas, alia apertas afficere.* Primi generis sunt rubefacientia & vesicantia, secundi corrosiua strictius dicta, tertii catharetica, partim ob diuersas particulas agentis, partim ob diuersa obiecta patientis.

(3) *Alia* porro *sunt manifesta magis, alia occulta, seu in recessu talia.* Manifesta vocamus, quæ asperitate sua & acrimonia primo sensui sese offerunt. Sic alumen plumosum solo affrictu, vrticæ hastulis manifestis vrunt, & ruborem inducunt, ne aspera alia laudemus salina spiculata, per mechanicam comminuentia fibrillas aliasque partes solidas. Occulta, quæ a posteriori magis vim suam exerunt, vel gratiam quoque quandam prima fronte effingunt, latente in recessu acrimonia. Sic ipsum arsenicum, si gustum consulas, fallit, vnde & bruta decipiuntur ipsa. Sic mercurius viuus sub particulis rotundis condit acrimoniam, & dulcis quoque, licet ita dicatur & sit ad sensum, facile tamen rosiuam virtutem in apricum profert, si excedatur.

(4) *Alia sunt natiua, originaria & essentialia, alia producta.* Illa ob idiosyncrasiam statim sua sunt, vt arsenicum, auripigmentum. Hæc mediante syncrisi & diacrisi talia euadunt & producuntur, quod exemplo *calcis viuæ, salis fraxini, quercus, lapidis corrosiui*, maxime vero *mercurii viui* aliisque comprobatum dari potest. Etenim mercurius hic sibi relictus minus corrosiuus est, ast si salium spiculis armetur, eminenter talis euadit in sublimatione.

(5) Alia sunt *simplicia*, alia *composita.* Simplicia sunt sibi magis relicta, & sæpius sic meliora, vt cantharides, esula, arsenicum, spiritus nitri; composita ex pluribus

mixta

mixta, quæ se inuicem acuunt, vt aqua fortis, mercurius ſublimatus, lapis corroſiuus.

Affinis huic diſtinctioni ea eſt, qua *alia* (6) dirimuntur in *primaria, comitata* & *per accidens quaſi talia*. Primaria ſunt & dicuntur a prædominio qualitatis ſalinæ, acria debito gradu, aliaque acerba, auſtera huius generis; comitata, quæ præter hanc alias adiunctas habent, v. g. oleoſas, vt pyrethrum, oleum caryophyll. cinnam. terreas, vt alumen vſtum &c. Symptomatica vero ſeu accidentaria dici poſſunt, quæ vredinem, inflammationem, eroſionem inferunt minus ordinarie, ſed certis ſolum in ſubiectis, vt balſama, & olea deſtillata, illita in ſcorbuticis non raro exulcerant partes, inflammant & deterunt.

(7) *Alia ſunt acida, alia alcalica, alia media*; per eandem ſalium prærogatiuam, prædominium & diſtinctionem. Acidorum exemplum præbent ſpiritus minerales acidi, nitri, vitrioli, aqua fortis, butyrum antimonii, mercurius ſublimatus; alcalium, calx viua, (quamuis hæc magis ſit alcalinæ naturæ,) lapis corroſiuus, aliaque addenda. Nec media deſinunt eſſe talia, quamuis mitiora, exemplo ſalis communis & ammoniaci, ſaltim in rarioribus partibus. Hinc quidquid agunt, faciunt ob particulas rigidas, acres, mordaces. Vid. *D. Præſes l. 2. de Med. Fac. Sect. 1. c. 5.*

Ex his efficitur, vel tacentibus nobis, falli illos & fallere, qui omne vlcus principio acido adſcribunt. Enimuero cum per ſalia alcalica, qualia ſunt lapis corroſiuus, & alia, æque ac per acida vlcera artificialia excitare poſſimus, quid obſtet, quæſo, quo minus & alcalica aut in corpus delata, aut in ſuperficie hærentia ſolutionem continui inferre queant. Tacemus ſal medium, ſeu ſalſum, quod in ſcabie ad oculum patet.

(8) *Alia ſunt volatilia magis, alia fixa.* Sequuntur enim hæc producta ſeu qualitates ſuum principale, principium ſalinum, cujus activitas & in volatilibus & in fixis emicat. Sic præter cantharides, ſale volatili acriori fœtas, ipſe ſpiritus ſalis ammoniaci vrinoſus, recens, concentratus, imo & cornu cerui per putrefactionem paratus & rectificatus, linguæ vredinem inducit & cuticulam abradit, corroſiuus eſt. Quis in ſalibus fixis corroſiuitatem quæſiuerit, niſi vel lixiuia e cineribus quercus, fraxini, vel conſimilibus ſaturatiora deglubere quaſi caput obſerventur in capitiluviis, acuminatis per ignem magis ſpiculis ſalinis? Idem de ſalinis acidis valet.

Ratione originis (9) *alia ſunt vegetabilia, alia animalia, alia mineralia.* Ex *vegetabilibus* eſula emicat, huiusque ſpecies & affinia, quæ partibus delicatis, manibus, faciei, pudendis improuide applicata inflammationem, veſicas, eſcharam inducunt. Sic & allium & cæpæ, externè adhibita cuticulam corrodunt veſicasque excitant, internè vero conuenienti quantitate aſſumpta, quia a fermento ventriculi ſubiugantur, nullam noxam inferunt. Ex *animalibus* ſolæ fere cantharides ſufficiunt; quæ enim de ſerpentibus & venenatis animalibus dicuntur, quod ſint ſeptica, illud etiam ex alio capite quam corroſiuitatis peti debet. Ex *mineralibus* inſtar omnium eſt arſenicum, eiusque ſpecies, hinc & vitriolum, alumen & alia. Sane auripigmentum & vitriolum a *Celſo* ipſo & reliquis inter rodentia, exedentia, adurentia, eſcharotica numerantur.

Sic & plura talia vel verbo nominari poſſunt, quod alia ſint *interne* talia, alia *externe*, alia *utroque modo*, quorſum dyſenteria, cancer occultus & apertus ſpectat, qui depaſcens ſatis & ſepticus eſt: alia *diffuſa*, alia *concentrata*: alia *lenta*, alia *ſubitanea*: alia *liquida, ſolida, media*, quoad conſiſtentiam.

His præmiſſis ſequentem conſtituimus DEFINITIONEM: Corroſiuum eſt qualitas mixtorum actiua, medicamentoſa & venenoſa, exedens, abſumens & deſtruens, a ſale magis vel minus acri, pro vſu externo definito.

Cum ſubſtantia proprie non agat, nec quantitatis ulla ſit efficacia, merito GENUS qualitatem conſtituimus, & quidem mixtorum, quæ modum hunc afficiendi præ aliis ſortita ſunt ad differentiam ſimplicium ita dicta. Actiuitatem vero non ſolum ſalis eminentia demonſtrat, ſed etiam effectus, quem contactu ſuo in corpore noſtro poſt ſe relinquunt.

Medicamentoſam eandem eſſe quilibet facile concedet, ſi noverit, medicamentum nobis dici, iuxta *Galenum l. 1. de ſimpl. Med. Fac. c. 1.* omne id, quod corpus noſtrum alterat. Quamvis vero corroſiuorum hic vſus internus rarior aut nullus ſit, nihilominus tamen in confeſſo eſt, medicamenta prædicari non de ſolo interno vſu, ſed & externo topico.

Nec indicta abire debet corroſiuis in definitione aſſignata venenoſitas, quam vt probemus, vix opus eſt, cum fortiora hæc tertiam claſſem venenorum conſtituant, & poſt eorum vſum cardialgiæ, vomitus, deiectiones, ſatis ſuperque aſſertum confirment, prout plura de hac rè extant exempla. Vt alia omittamus, placent duæ *Heerii* obſervationes *l. 1. obſ. 16.* recenſitæ, vbi iuuenem non exſpectata candela aquam fortem loco aquæ vitæ haurientem, poſt aliquot dies, fruſtra adhibitis omnibus, concidiſſe; & alios Leodii in conuiuio, cui ipſe intererat, ex arſenico, loco oryzæ vſurpato, ſtatim ſublatos fuiſſe, refert. Ex eiusdem arſenici vſu ventriculum eroſum & inde ſubſecutam mortem annotauit *Salmuth. cent. 1. obſ. 10.* & alii paſſim.

Agunt ſcilicet hæc, verbis *D. Præſ. Amœn. Mat. Med. l. 2.*

l. 2. sect. 2. c. 1. quatenus ventriculo escharam & necrosin induncunt, vnde parte ad vitam absolute necessaria destructa, necessum est machinam ipsam subrui, & principia vitalia destrui. Facit hoc quoque ad selectum, vt si corrosiua adhibere sit animus, vel indicatio, ne charactere hoc infamia magis applicemus, vbi præter salia caustica etiam sulphur peregrinum & alia sociantur, vt in arsenicalibus.

Quæ itaque porro in definitione asserta sunt, stant loco DIFFERENTIÆ SPECIFICÆ, & ab aliis medicamentis, inprimis externis, eadem distincte insinuant.

Vti vero reliquæ medicamentorum classes sensum odoratus & gustatus respiciunt; ita corrosiua mediante quidem hoc quoque ex parte dignoscuntur, proprie tamen magis tactum feriunt, nec tam spiritus, vel humores, nisi indirectè & mediate, quam partes solidas afficiunt. Sic e similaribus cuticulam, cutim, fibras carneas ipsas, pro re nata, & ossa deleteria sua vi aggrediuntur: e dissimilaribus, quorsum pertigerint, v. gr. oculos, ventriculum, intestina, & alias delere & destruere apta nata deprehenduntur.

Sunt hæc species quædam acrium definita, a quibus non nisi maiori gradu & effectu sic differunt, adeoque medicamentosa & venenosa, prout indefinite, interius, improuide vel temerarie propinantur, assumuntur & applicantur, & contra. Hinc, elogio *Galeni l. 2. de caus. morb. c. 7.* ἕκαστα τῶν τραχυνόντων αἰτίων σφοδροτέρων γινομένων, ἕλκωσιν μὲν τινα, ἢ διάβρωσιν ἐν τοῖς σαρκώδεσι μορίοις, ἐν τοῖς ὀστοῖς τερηδόνας ἀπεργάζεται. *Omnia exasperantia fortiora vlcerationem quandam, aut erosionem, in partibus carnosis, in ossibus vero cariem efficiunt.*

Hinc si modum agendi attendamus, quoad primas qualitates, saltim a reliquis productas, sunt calidiora, maiori gradu talia, quarto puta. Non possumus hic

 quin

quin locum integrum laudati *Galeni* excerpamus ex *l.* 7. *simplic.* quippe qui facem accendit egregiam hisce singulis. τὰ τῆς τετάρτης, *inquit*, τάξεως ὑπάρχοντα κατὰ τὸ θερμαίνειν, λεπτομερῆ δὲ ταῖς οὐσίαις ὄντα τὰς ἁπαλὰς σάρκας ἑτοίμως τε ἅμα καὶ ἀνωδύνως σήπει, ἐπὶ δὲ τῶν σκληρῶν ἐν χρόνῳ τε πλείονι καὶ μόγις ἐνεργεῖ. καλεῖται μὲν οὖν τὰ τοιαῦτα φάρμακα πάντα σηπτικὰ, καὶ σηπτά. διαφέρει δ' ἀλλήλων κατὰ τὸ μᾶλλόν τε καὶ ἧττον. *Quæ quarto ordine sunt calida omnia, & adjunctam habent substantiæ tenuitatem, mollem carnem prompte citraque dolorem putrefaciunt, ast in duris plusculo tempore & vix effectum consequuntur. Talia omnia medicamenta* SEPTICA *vocantur & septa, sed inter sese majoris minorisque ratione differunt.*

In quo vero consistat λεπτομέρεια hæc, *tenuitas partium*, optime explicant & mechanice ad oculum Chimici, salinas easque acuatas (liceat ita barbare loqui) nominando & ostendendo. Hæc enim non secus ac acutie subtili pollentia instrumenta, mediante torno vel alias adhibita, in lignis, ossibus, metallis ipsis potenter discerpunt in minutissimos flocculos & atomos fibras, diruunt vincula rerum, destruunt sulphur, fundunt, liquant & acuunt humidum, exasperant ob acrimoniam, & soluunt sic continuum, νέκρωσιν inducunt, mortificant. Patet hoc ad oculum mehanice, si vel guttula vna vel altera spiritus vitrioli vel alius, vt aquæ fortis, chirothecæ, vel corio ceruino, nedum chartæ subtiliori, inspergatur, mox fit comminutio particularum plicatilium, & in pulvillum secessus, foramen, hiatus, non secus ac si igne essent absumptæ; vnde & revera sunt ac dicuntur cauteria potentialia.

Ceterum haud inconsultum fuerit, quæ naturam dictorum penitius exponunt, breviter hic lustrare. Notandum igitur:

(1.) *Corrosiua non agunt in quodlibet obiectum, & acida*

tamen & alcalia in partes corporis molles cumprimis. Notum est, non exercere posse vim suam acidissimos quoq; spiritus in ceram, picem, sulphur, sibi relicta, & contra ea durissima etiam metalla devorare. Alcalia vero non agunt in martem v. gr. cui soluendo & extrahendo quælibet acida velificantur. Sic quoque alcalia minus disrumpunt lintea, acida promptissime. Vtraque vero corrodunt cutem, quod ingressum inveniant, acida in particulas terreas, alcalia in sulphureas, quas mox ex ordine suo dimovent, eneruantque, vt cohærere desinant ac illigare nexu suo cohæsiuo reliquas.

(2) *Corrosiua non agunt nisi soluta, liquida vero inprimis refringenda, & certo spatio concentranda.* Est enim & hæc velut species quædam solutionis, vbi ingressum sortiri debent, quo præcluso vis obtunditur. Hinc lapis corrosiuus leuiculo vel salivæ humore ad solutionem disponitur, & a viuido madore pororum ulterius actuatur; butyrum vero antimonii prius in deliquium soluendum est, aëre liberiori admisso. Non vero ultra circulum circumscriptum latius serpere debet, ne ultra oleas evagans partes vicinas lædat.

(3.) *Corosiua quo fortiora, eo magis indolentia.* Corrosiua indolentia iamdudum *Galenus l. c. l. 7. simpl.* expressis verbis memorat. Vti enim vesicatoria ruborem, ardorem & dolorem cient magis: ita corrosiua non ea proportione idem sed contrarium potius præstant. Testatur id experientia quotidiana: ad sensum enim minus doloris faces accenduntur ab impositione corrosiui pro excitandis v. gr. fonticulis. Fit id, quod actiuitate insigni polleant, illa vero velut per insidias & successive alteret; simul vero admittitur, etiam sensum aufert & cum sensu dolorem. Singularis effectus est arsenici, saltim intensiue magis quam extensive, quo de *Anazarbaus l. 5. c. 121.* *δύναμιν ἔχει, inquit, σηπτικήν, καὶ ἐσχαρωτικὴν μετὰ πυρώ-*

σεως καὶ βιαίου δήξεως, vim habet corrosivam & escharoticam cum vehementi uredine & violento morsu. Addit etiam reprimere quæ excrescunt, & pilos evellere, adeoque omnia ea præstare velut coniunctim, quæ corrosiua sigillatim.

(4.) *Corrosiua pro graduum, mansionum, salina particularum diversitate, diversum sortiuntur effectum & nomina.* Cum enim alterum altero sit calidius, hoc sale volatili, illud fixo magis abundans vel minus, aliud diffuso, alterum concentrato magis fœtum, præter texturæ reliquæ diuersitatem, necessum est distinctas quoque hinc edi operationes. Sic rubefacientia, minori caloris & acuminis gradu conspicua, extimam solum superficiem aggrediuntur, dum spicula sua salina cuticulæ infigunt, & a calore corporis nostri actuata lympham e glandulis effusam sanguinemque rarefaciunt, vnde rubedo cuti inducitur. Vesicantia vero majori gradu prædita particulas salinas volatiles acres acuminatas epidermidi (quam squammulas sibi incumbentes esse, experimenta *Lövvenhuckii* testantur,) intrudunt, fibrillas & vasa lymphatica disrumpunt, unaque sero stimulum rarefactiuum fœnerant, vt exudans e glandulis fervidius colligatur, & diffringens cohæsionis catenulas, cuticulam in vesicam elevet. Reliqua vero pro suo quæque modulo serius ocyus vel escharam inducunt, vel perterebrant centrale vnionis vinculum.

(5.) *Quo concentratiora salia corrosiua, & spiritus acidi, eo magis corrosivi sunt, quo magis diffusi, eo minus.* Vis enim vnita aucta & collecta & hic fortior. Discontinuantia vero illa sunt particulæ aqueæ & terreæ minus activæ, quæ interstitia replent & spicula remorantur. Hinc nitrum, alumen, vitriolum & alia salia sunt quidem & ipsa acria, nec corrosiuitatis expertia, sed longe magis talia in spiritu, eoque magis dephlegmato, & adhuc magis in

oleo

oleo improprie dicto. Idem valet de alcalicis coagulatis præ lixiuiis. Spectant huc apprimè quæ circà horum præparationem notauit *Mich. Gavassetius l. de nat. cauter. c. 12.* sic scribens: In causticis præparandis hoc unum est obseruandum, vt sumantur, quæ carent vi adstrictoria, qualis est calx viua: nam quæ parantur ex chalcitide, mysi, atramento sutorio & id genus aliis, cum vim habeant adstrictoriam, tardius eschara ab illis excitata excidere solet.

(6.) *Alcalia alcalibus, acida acidis addita fortiora corrosiua constituunt;* iuxta canonem omni exceptione maiorem: tale additum tali, simile simili, illud reddit magis tale & simile. Exemplo sit ex alcalicorum classe lapis corrosiuus, ex acidorum aqua fortis. Ille originem suam debet cineribus fraxini, betulæ, quercus, fagi, cui si addatur calx viua, fit lixiuium saponariorum, longe fortius simplici, acuminatis magis particulis alcalicis vegetabilibus arborum per minerale vel quasi lapidum exustorum. Aqua fortis vero ex nitri & vitrioli combinatione enascitur, depressis sic magis terreis ochreis particulis, & acuminatis salinis, vt mox vel odore modus alius se exerat. Memorari hic potest obseruatio *Thomæ Fieni*, qui *l. 2. de Cauter. c. 5.* cathæretica maiorem vim acquirere scribit, si æneo vase coquantur. & quo dosis æruginis maior sit, eo etiam compositum esse efficacius, & magis si ærugo cruda sit, non usta.

(7.) *Corrosiua forma liquida citius sed facile diffusius, sicca tardius sed efficacius agunt.* Patet id facile ob solvendi maiorem vel minorem promptitudinem & actiuitatem. Hinc cicuranda & refrænanda magis sunt liquida, ut si globulus ligneus spiritu nitri vel aqua forti imbibatur, optimum constituit corrosivum. Idem de crystallis lunæ valet. Vel saltim, si liquida forma placeat pro cathæretici vel absumentis corrosiui usu, partius illinenda fuerint.

(8.) *Cor-*

(8) *Corroſiua alcalica eſcharam producunt nigricantem, acida rubentem & candicantem.* Hujus vero phænomeni ratio explicatione eget. Sane alcalia alias quidem rarefaciunt ſanguinem, ſed cum hoc loco fortiora diverberent partes ſolidas, & fluidas quietas reddant ac pervertant, relinquunt ſaltim poſt ſe indicium ſulphuris lucidi vitalis deturpati minus obtuſi. Acida vero partim magis inflammant ſuis ſpiculis, unde rubor, partim obtundunt magis expanſum ſulphur. Ruborem hinc ab arſenico aſſumpto, ſeu partes inflammatas oſtendere licet, ab aqua forti, vel butyro antimonii eſcharam albidam magis, quamvis in poſteriori hoc etiam accidat poſitiva albedo, a mercurio vitæ in apricum quadantenus quoque producto.

(9.) *Corroſiua interne aſſumpta aut externe venis infuſa, principia vitalia deſtruunt.* Reſoluunt enim ſanguinem, eiusque σύστασιν pervertunt, & ſpiritus turbant, vnde intemperie hac humoribus fundamentalibus inducta motum & conſiſtentiam eorum turbant. His igitur impellentibus deſtructis, neceſſum eſt ipſam machinam impellendam deſtrui. Deſtruunt ſi non in totum, ſaltim in tantum, ſeu in particulari, reparabili vel irreparabili damno, pro diverſitate doſeos, & circumſtantiarum aliarum.

(10.) *Corroſiua in de mortuo corpore vim ſuam non ita exerunt ac in viuo.* Diſtincte de hoc ſtatu agendum eſt. Enimvero nullus rubor in cadavere infertur a rubificantibus, nulla veſica a veſicantibus, nulla eſchara a cauſticis & eſcharoticis. Pure enim ſe paſſiue habet corpus defuncti, nullaque fit reactio, nulla caloris, humorum, archei exacerbatio, nullus affluxus, nullus ſenſus. Interim tamen nec corroſiva tum plane deſinunt agere, ſed depilant nihilominus, cuticulam deradunt & cutem ſic in corium & ſuo loco præparant.

(11.) *Cor-*

(II.) *Corrosiuorum antidotus sunt inter alia pinguia, mucilaginosa & oleosa.* Conueniunt hic in genere oleum amygdalorum dulcium, butyrum, lac ipsum. Speciatim vero in arsenici & mercurii sublimati vsu cryſtallus montana. Quæ omnia quatenus ſpicula inuoluunt & obtundunt, viſcerumque parietes ſulphure ſuo blando demulcent ac defendunt, hic apprime conueniunt. Hinc eſt, quod in operationibus chimicis præprimis circa antimonium & mercurium ſublimatum occupati conſulto panem butyro prius illitum deglutiant. Ex quibus tanquam conſectarium conſequitur: omnia pinguia & oleoſa corroſiuorum vim infringere, id quod *Fienus* quoque *l. 2. de caut. c. 8.* obſeruauit, dum omnia pinguia medicamenta vrentia retundere ſcribit. Nec ſilenda hic eſt elegans *Sydenhammii* obſervatio in *Epiſt. reſponſ. ad R. Brady*, vbi ſervum, cum aliquam mercurii corroſiui quantitatem deglutiiſſet, propinato medicamento aquas euomuiſſe acerrimas ſcribit, ſubſequentibus ſemper debilioribus, vsque dum omnis acrimonia penitus euaneſceret.

Caput II.

De
Corroſiuorum vſu.

Cum corroſiuorum vſus tum ob multifarium applicandi modum, tum inprimis ob varias virtutes, quas pro mixtionis & correctionis modo diuerſas exhibent, non tam arctis circumſcriptus ſit limitibus, merito eundem in certas quaſi claſſes diſpeſcimus. Hinc

(I.) *Corroſiua rubefaciunt, veſicas excitant, & eſcharotica ſunt reuellentia.* Seu effectu hoc ſuo vſum in praxi habent

bent

bent non exiguum. Rubefaciunt ſpiculis levioribus ſalinis, fixis vel volatilibus, veſicas excitant, & eſcharotica ſunt maiori fervore, celeritate, duratione, concentratione, adeoque activitate gaudentia. Eliguntur eo fine fere ſinapiſmi, ſeu ex ſinapi parata, cantharides, allium, lepidium, eſula, acetoſa, aliaque cauſtica vegetabilia. Referri huc poſſunt omnes vſus veſicantibus adſcripti, euocandi malignitatem, dolorem citandi, aduocandi ſpiritus & vniendi feroces, aliique, quibus vt latius immoremur non opus eſt.

(2.) *Corroſiua refracta, ſicca inprimis, ſunt catharetica*; ſeu carnem luxuriantem, mollem, ſuperfluam domant, & ad ſtatum debitum temperiei ac ſubſidentiæ reducunt. Ita enim diſtincte, conformiter praxi, & veterum aſſertis, ſeu ipſi rei illa applicantur & concipi poſſunt: ſive in vulneribus reparandis id indicetur, ſiue in fonticulis ipſis amplius ſpatium excavandum, Etzpulver vocant, exemplo cornu cerui vſti, aluminis vſti, mercurii præcipitati rubri, ſeorſim & coniunctim. Quod ſi mollia eligere velis, cum melle roſato idem facile ſuccedit ubi vnguentum Ægyptiacum, purpur. Würzii & ſimilia ex vſu ſunt. Neque enim facile hoc fine corroſiua fortiora molliori & nudæ eiusmodi carni applicari debent.

(3.) *Corroſiua abſumunt prouide applicata*; ubi nempe auferri his mediis res præternaturalis poſtulat. Quam ob rem ſi abſumendæ verrucæ, condylomata ficus, criſtæ pudendorum, ſi claui pedum extirpandi ipſi, modo ſelectus fiat, egregium prorſus præſtant vſum. Succus eſulæ lacteus in calloſis fibris verrucarum inuenit quandam reſiſtentiam vnde eſcharam minus infert, nec triſtem ſenſum, ſed ſucceſſive illitus imbibitur, & extremitatibus obterendis inſeruit, vnde ſenſim ſenſimque abſumitur ſuccus nutritius, vt minus exporrigatur. In clauis pedum ærugo mitius agit, cum cera mixta, in verrucis ſal ammoniacum, in aliis fortiori opus eſt cunto.

(4.) *Cor-*

(4.) *Corrosiua sunt ῥυπτικά, ruptoria.* Cum enim diruant ~~parietem, dum~~ aditum ad intra faciunt, faciunt ad exitum materiæ intus conclusæ. Rumpunt abscessus, aperiunt bubones, carbunculos, & in hoc optime se gerunt, siue timor ægri renuat ferrum, siue profundior situs & alia hoc succedaneum invitent. Fœmina tumore mammarum laborans, verso in ἀπόστημα consistente humore, apposito corrosiuo, & apertione sic facta sanabatur feliciter. Tumore testium gravi a contusione orto, & congestis humoribus in abscessum coëuntibus, eodem pacto curatio instituebatur. Prosunt & alio titulo, quatenus evocant vna & corrigunt malignitatem, vt vesicatoria apponuntur bubonibus, iisdem & carbunculis magnes dictus arsenicalis, ex arsenici albi, antimonii & sulphuris æqualibus partibus paratus.

(5.) *Corrosiua, partibus terreis vel aqueis refracta & correcta coërcent & cicurant vlcera sordida & putrida.* Dum enim quod vliginosum, molle, serpens, & propagativum est sui, edomant, seminia morbosa fermentifica abolent eliminantque, vnde in vlceribus malignis cacoëthicis & venereis ea ipsa sacra sunt anchora. Primas hic arsenicum cum nitro & sulphure in pauca quantitate correctum tenet, cuius effectum *Robertus Boyle Exerc. 5. Philosoph. Experiment. c. 3. § 11.* maxime dilaudat, dicens se a medico sibi familiari percepisse, se hoc ipso pulvere ulcera venerea periculosissima, quorum nonnulla ad meatum vsque vrinarium penetrarunt, feliciter in proprio corpore curasse. In aliis, si sordities insimul adsit, aqua viridis Hartmanni, aut vnguentum Ægyptiacum percommode adhibetur. Instar omnium sit aqua vel liquor mercurialis chirurgorum recentiorum, ex aqua calcis vivæ & mercurio sublimato, qui in vlceribus præhumidis laxis & omnis generis vsus est laudatissimi, quo de vid. *Cheneau observ. l. 5. p. 500. & 538.*

Valet idem & de vlceribus cancrosis. Cumque horum mentio hic occurrat, quantum nostri est scopi, pauca quædam de horum vsu in cancro addemus. Sane arsenicalia passim apud Autores commendantur hoc nomine, sed qui cruda illa in cancro occulto, qui promiscue in aperto seu exulcerato adhibet, facile noxam inferre potest, & fallitur. Ast absumendi, separandi & corrigendi hoc fine negari nequit, etiam arsenicalia cicurata habere locum. *Celsus* ipse *l. 6. c. 18.* in cancro colis inspergenda iubet aliqua ex adurentibus, maximeque id, quod ex calce, chalcitide & auripigmento componatur. Simile exemplum refert *Caspar Hoffmannus Comment. in meth. med. Galeni l. 9. c. 9. p. 221.* virginis provectæ ætatis, vlcere cancroso in superiori labro laborantis, in quo frustra occupati fuerant Chirurgi: supervenit empiricus e vulgo, qui curabat adhibitis causticis, quæ ex arsenico crystallino fuisse coniectatur.

(6.) *Corrosiua separant*, seu eximie prosunt, ubi διάκρισις quædam partis viuentis a demortua instituenda. Ne itaque proserpat malum, novos quasi limites ponunt, novum littus, corrosiua hæc, vt cum non inueniat continuationis ansam, subsistat. Vna sic crusta velut murum quendam constituit, quem transilire nequit mali moris ichor putredinosus & morticinus. Hinc in gangræna ad sphacelum abeunte, & vbi vlcera ad eandem inclinant maximi sunt vsus. Prodest eo casu cumprimis, adhibita si opus videatur, prius debita scarificatione, spiritus sulphuris iuxta *Rivir. cent. 1. obs. 84.* aliosque, butyrum antimonii, aut per se, aut cum sublimato corrosiuo; vid. *Charas Pharmacop. Chim. l. 3. c. 82*) & puluis corrosiuus Barbette. Butyrum antimonii, verbis *Hartmanni Prax. Chimiatr. c. 284. pag. m. 363.* sideratæ parti illitum, potenter mortuum a viuo separat. Nam si eo circulus in parte describatur, ibi sistit malum, nec serpere vlterius

terius patitur. Sic & oleum vitrioli roborandi virtutem ſæpe butyro illi contra idem facit, præſertim in facie.

(7.) *Corroſiua deſtruunt tubercula, excreſcentias, & characterem peregrinum.* Septica enim ſunt, & ſic νέκρωσιν inferunt, quod ſi debite ac definite præſtent, multum opis afferunt, vna etiam communi rumpendi virtute exemptioni viam apparant. Sic durum palpebræ ſuperioris tumorem impoſito fruſtulo corroſiui Parei curauit *Muys Prax. Med. Chirurg. Rat. Dec. XII. obſ. 8. p. 413.* Sic inter alia næuus maternus flaveſcens prope oculum ſiniſtrum extirpatus eſt, ſenſim incrementum minitans, ex obſervatione *D. Præſidis.* Fermenti peregrini extirpati exemplum in epilepſia vid. apud *Heer. obſ. 23. p. 275.*

(8) *Tollunt quoque callos & parietes diffringunt, liquando & deſtruendo*, vnde nominatim proſunt in ægilope, ſeu, quando latera eius occalluerint, fiſtula lachrymali. Laudant vero ſeorſim hic Autotes vitriolum album & euphorbium. *Dolæus l. 1. c. 9. Chirurg.* hic cauterium ſuum indolens ex cineribus fraxini ſacculo linteo incluſis commendat, quod diſciſſa prius fiſtula & mundificata parti affectæ impoſitum eſcharam producere ſcribit. Et ſicut hoc maiori actiuitate exequuntur, ita & vtiliter adhibentur, vbi ſenſim ſenſimque quidpiam deſtruendi animus eſt.

Sic & (9) in ſarcomate & polypo narium ſuus vſus eſt corroſiuorum mitiorum. Hinc, experimento *Poterii cent. 3. c. 63. p. 55.* conſultius longe puluere herbæ ſcorpioidis ſeu heliotropii, cum goſſypio in nares immiſſo, liquari & diſſolvi citra morſum poteſt. Idem valet de eſſentia mercurii ſublimati cum ſpiritu vini facta, vt & placentulis ex euphorbio, viridi æris, & mercurio ſublimato deſumptis; vid *Miſc. Acad. Nat. Cur. Dec. I. A. 8 obſ. 91.* Vt autem medicamenta ad deſtinatum locum transferantur, nec adiacentes nares corrodant, haud inconcinne

fistula aut cannula adhibetur. Hæc tamen omnia longe antecellere scribit caput mortuum vitrioli cum vnguento ægyptiaco *Iob van Meekern*.

Quibus vero mercurio sublimato aut arsenicalibus vti volupe est, videant ne polypum in canthum maiorem oculi erumpentem, primo oculum, deinceps vitam ægro adimere sentiant, id quod *Beuerowicius* Schat der ongesontheyt *Part. 2. c. 32.* se vidisse testatur. Eschara, quæ in his aliisque casibus occurrit, vnguento in vulgus noto digestiuo feliciter tollitur.

(10.) *Corrosiua vlcerant & fonticulos constituunt.* Nobilissimus hic fonticulorum, seu vlcusculorum artificialium, vsus cum eorundem parariis corrosiuis communis est merito habendus. Cauenda vero sunt, vel minoris vsus habenda, quæ acutioribus & peregrinis particulis conspicua inflammationem partium vel dolorem causare posunt, qualia sunt ex mercurio sublimato crudiori parata, teste *Th. Bartholino cent. 5. hist. 36. p. 59.* vbi tutiora laudat e cineribus fraxini, crystallos lunæ, & alia.

Vbicunque nempe actualia cauteria aut ob teneritudinem partis, aut ob metum lædendarum partium adiacentium, non admittuntur, aut patientes ferrum, instar fœminarum, (vt loquitur *Hieron. Capivacc. l. 1. Prax. c. 43.*) nolunt admittere; sed lenta magis operatio aut fortior attractio expetitur, in subsidium vocantur potentialia seu corrosiua, quæ pro cuiusuis autoris genio variari solent. Vsitatiora vero præ aliis ex alcalicis sunt lapis corrosiuus, ab aëre probe defendendus & loco sicco asseruandus; ex acidis butyrum antimonii, & alia iam tacta. Neque vero butyrum antimonii eiusdem cum mercurio sublimato est census, vnde quamuis nouerimus Practicos quosdam alias experientissimos, si alia ad manus sint, consulto eodem abstinere, revera tamen, si decenter administretur, innoxium est.

Deni-

Denique (11.) *corrosiua velificantur operationibus chimicis*, siue propter seipsa corrigenda, retundenda, edulcanda; siue propter alia in minutissimos atomos confringenda, solvenda, immutanda. Ita ex venenis fiunt optima medicamenta, non solum tutissime sumenda, sed & non sine iuuamine præsentaneo, exemplo mercurii dulcis, bezoardici mineralis & aliorum quamplurium. Quis est, quem lateat decantatissimus menstruorum, acidorum cumprimis, vsus? Vbicunque enim corpora fixa, in specie metallica, soluenda sunt, corrosiuis menstruis (quæ eo citius corpora dissoluere, si calor externus ambiens intestino motui nouam vehementiam aut velocitatem imprimat, testatur *Boyleus Experim. 2. Sect. 1.* de mechanica corrosiuitatis origine,) carere non possumus. Notandum tamen, vnum menstruum omnia corpora non solvere, Sic aqua fortis argentum, non vero aurum soluit, id quod ex figura, poris, mole aliisque accurate demonstratum dedit laudatus autor citato loco.

Caput III.

De

Corrosiuorum Abusu.

QUod in prouerbio dici solet, gladius, vel, quod eodem iure surrogari potest, ignis in manu furiosi, pueri imperiti, id præ aliis quoad vsum corrosiuorum quoque valet quam maxime. Sunt hæc ignis potentialis, ipsi actuali contra lædere apta, adeoque merito de abusu etiam horum agere nos oportet. Hinc, vt summatim ea quoque libemus, quæ in noxam cedunt, (1) *Corrosiua & quasi talia, sibi relicta, sunt intuta remedia interna,*

na. Non ignotum quidem eſt, quædam exterius veſicas excitare vel corrodere, quæ interius aſſumpta minus ſint talia, vel allii laudati exemplo; aſt alia illorum longe eſt ratio, ſiquidem contuſione, maſticatione ciborum aliorum, vel pituitæ in ventriculo præſentia obtunduntur ſpicula. Adeoque per accidens quaſi proſunt, per ſe nocent hoc pacto. Septica enim quæ ſunt, imo ne hoc quidem gradu corroſiua acida, acria, ventriculo ardorem, eſcharam, eroſionem manifeſtam inferre poſſunt, non ſine triſti, lethali puta, euentu.

Sic a ſucco citri largius aſſumpto idem viſum eſt, a ſpiritu vitrioli etiam ad paucas guttas, qui ventriculum habent magis papyraceum & debilem, ſentiunt ardoris ſenſum. Inprimis vero mercurialia non rite præparata, ventriculum perforare apta nata ſunt, quale triſte exemplum vidit *D. Præſes*, in quodam, qui vndique conquiſitis ad luem veneream, qua ne laborabat quidem, vt iis opus haberet, remediis, mortem reportauit, in ventriculo defuncti tribus obſeruatis perforationibus. Mercurium ſublimatum mortem inferre noto notius eſt, vel unico exemplo a *Guidone Patino* notato *tom. I. epiſt. 65 p. 283.* ſufficiente, & quis de arſenicalibus dubitet, quæ quotidianis experimentis a veneficis, hoc ſenſu dictis, factis ſubruere homines conſueuere. Et hæc ſane primum inter hæc corroſiua nocentia tenent locum, nunquam temere propinanda intra corpus

Neque obſtat, euaſiſſe non paucos, ſeu bonitate & robore naturæ mature ſalutari vomitu facto, quod non æque acido fortiori ventriculi adſcripſeris, niſi accidentario itidem ſtimulo ſic maiori illato; ſeu minori præbio aſſumpto, ſeu antidoto propinato, ſeu largiori cibo, & pinguibus præſertim præſumptis. Nec ignotum eſt, arſenicum in pſora innoxie datum ipſaque lepra, correctum; vid. *Ludouici Pharmac. in art. form. redact. diſ-*

ſert.

sert. 1. p. 292. & *Michaelis tr. de morb. externis*: imo decantatissimus hodie decoctorum febrifugorum & puluerum antipyretorum arsenicalium vsus, de quo videantur *Miscell. Acad. Nat. Cur. Dec. 2. Ann. 3. p. 132.* & *Anni V. p. 474.*

Etenim quo minus ad castra horum autorum transeamus, suadet sal volatile summe causticum, quod quamvis aliquo modo etiam correctum fuerit, nihilominus tamen ventriculum facile erodit, vasa vitalitati maxime necessaria destruit, ipsumque sphacelum inducit, id quod ex dissectione cadauerum tali medicamento extinctorum satis superque apparet.

Adeoque ratum est, arsenicum potum, sandaracam, calcem aliaque assumpta ventriculum & intestina μετὰ δηγμοῦ σφοδροῦ, *cum vehementi erosione excruciare*, autore *Anazarbeo l. 6. c. 29.* Decocta febrifuga & pulveres antipyretos quod concernit notum est, & sæpe plus promittere quam in recessu habent, & raro adhibita fuisse, quin vomitus fortissimi, cardialgia & symptomata alia ea monstri quicquam alere demonstraverint, & non raro aliquid mali post se relinquant, si non in præsens, in futurum tamen noxia. Novimus, quibus non profuere omnino, alios, qui longo tempore post fatis concessere, neglecta hac sublimiori causa, vel subtiliori potius veneno. Quapropter cum tutiora & præstantiora extent remedia, quibus dicta symptomata depellere possumus, merito ab eorundem vsu interno abstinemus, vel saltim exuta esse debent illa corrosiuitate, & genuine correcta, vt corrosiua atque manifesta venena euadere saccharo dulciora posse notavit *Helmontius l. de febr. c. 15. p. 778.* quod tamen de aliis magis quam arsenicalibus intelligit merito.

Idem etiam valet de mercurialibus, quæ vt dulcia sint reuera, non corrosiua, curandum, nec propinari debent, nisi probe constet, quomodo sint præparata. Imo aliquando citra corrosiua eiusmodi, etiam a causa interna, seu

ſeu acido fortiori domeſtico, fit eroſio ventriculi, vbi omnia ingeſta ardorem & vomitum inferunt. Pertinet huc exemplum, quod refert de iuris perito quodam *Heerius obſ. med. 25.* qui per plures annos de doloribus circa vmbilicum conqueſtus, continuo cardiogmo vomituque cruciatus, tandem poſt mortem ventriculum exhibuit exeſum cum ſignis gangrænæ; licet id ab euphorbio accidiſſe credat.

Vti ergo magis exterius quam interius vſum habent corroſiua, ita & quoad hunc non paucæ cautelæ locum habent. Diſtinguenda probe ſunt ſubiecta in genere, & partes quibus applicantur eadem. Sic *minus applicanda* (1) *in infantibus tenellis*, præterquam debiliora, omnia enim ibi ſunt molliora & delicatiora. Nec temere tamen, nec timide, tum in genere tum in his quoque applicanda. Notavit hinc merito *Aquapendens Pentateuch. l. 1. c. 6.* illa puerulis non convenire, horum enim corpora tenella non ferunt medicamenta vehementiora. Proportio requiritur inter agens & patiens, morbum & remedium, indicans & indicatum, non neglectis permittentibus & prohibentibus. Sic rarius fonticuli huic ætati adhibentur: ſin opus iis ſit, nec illis abſtinendum, modo μετ' ἀσφαλείας fiant. Sic mercurius dulcis ipſe non debet dari etiam interius infantibus niſi refracta doſi, & probe factus, & rarius, & certis caſibus, non promiſcue.

Minus etiam *conveniunt* (2) *partibus tenerioribus, delicatis & debilitatis.* Teneriorum exemplum præbent oculi, facies, pudenda, abdomen; debilitatarum paralyſis, aridura affectæ, & extremæ. Non patitur luſum & cum his oculus. Vidit *D. Præſes*, qui inſperſa calce viua eſcharam, & hac male tractata, deformitatem, ac viſus amiſſionem reportavit. Innuit id per iocum *Ariſtophanes concionatr. p. m. 707.* qui ad lippitudinem commendat, vt allium tritum cum eſula veſperi inungeretur palpebris. Exempla

pla lactei huius ſucci applicati genitalibus refert *Rolfincius l. de Purgantibus veget. ſ. 4. art. 2. p. 175.* Excreſcentiæ oculi applicata aqua fortis minus bene ceſſiſſe obſeruata eſt.

Vtut vero nec promiſcue oculis nocuiſſe viſa ſint, quale exemplum de mercurio ſublimato habet *Platerus* in *obſ. p. 114.* non temere tamen imitanda ſunt, quæ caſu non nocuiſſe viſa. Saltim ſi fieri id debeat, non niſi probe defenſis partibus applicanda, ita enim & palpebris impoſita cum vtilitate diximus. Nec afflictis ſeu debilitatis magis eſt addenda afflictio, vel aliis quoque. Quam ob cauſam ob metuenda ſymptomata præſtat iisdem hoc caſu abſtinere. Hinc vitanda cauſtica, vbi pars vel exquiſiti ſenſus, vel inflammata, aut corpus vitioſis ſuccis redundat, cautela eſt *Mercati l. 2. de morb. Gall. c. 8.*

Non vtendum (3) *corroſiuis, vbi non opus eſt, nec iisdem prauaricandum*, etiam in aliis partibus. Nil prodeſt, quod non lædere poſſit idem, nedum tam actiua medicamenta, qualia ſunt corroſiua. Valet id tam in genere, quam ſeorſim in capitis vlceribus & vulneribus. Arſenicum capiti nunquam temere applicandum, id quod in tenia & aliis caſibus factum tumorem eiusdem & ardorem induxiſſe, viſum eſt. Sic in vulneribus capitis mortem accelerare, in vulneribus vero articulorum dolores, inflammationes & alia graviſſima ſymptomata excitaſſe teſtatur *Hoffmann. de meth. med. l. 2. c. 2.*

Vitanda etiam (4) *vbi tendines, nervi, vena aut arteria maiores concurrunt.* Etenim metus ſubeſt, ne, dum ea ipſa corrodunt, motum partis auferant, aut hæmorrhagiam lethalem excitent. Notauit id dudum *Vegetius l. 3. art. veterin. c. 77.* obſeruare debes, *inquiens*, ne aut ſupra articulos, aut neruoſis in locis quacunque paſſione vnquam cauterium imponas.

Cauendum eſt (5) *ne depaſcant corroſiua, quæ non debent.*

 Iuue-

Iuuenis tumore definito pedis laborans eundem butyro antimonii auferre satagit, quod legerat absumere partes. Illo vero applicato erosus fuit pes ad os usque, quod, quasi re bene gesta, petebat a chirurgo iam consolidari. Vix sex mensium spatio curari potuit malum, adeo ipse pes periculum subibat corruptionis. Hinc non nisi coercita & definita applicanda, & vbi non integris, saltim refractis vsus est, vt in vlceribus venereis, per dicta, aquæ mercuriales suam habent insignem vtilitatem. Idem in omnibus valet reliquis, vt sit modus in rebus, sint certi denique fines, quos vltra citraque nequit consistere rectum.

(6.) *Corrosiua acida ossibus sunt exosa, aromatica amica.* Quamvis hinc ad tartarum dentium acidula, ad cariem dentium excauatorum spiritus salis, ad absumendam putrilaginem, commendentur prouido vsu: fortiora tamen non modo stuporem inferunt, sed & absumunt intempestive. Visi hinc sunt redditi edentuli, comminutis dentibus & corrosis, iamdum ab acido scorbutico putrilagini & destructioni obnoxiis satis. Idem de carie ossium valet quam maxime. Sunt, vt loquamur cum *Fabricio Hildano cent. 6. obs. 3 p. 501.* qui cariem ossis oleo vitrioli, sulphuris, aut aqua forti corrigere tentant, sed male; ad circumiacentes enim partes fluunt, & os vlterius corrumpunt, quod & in ossibus duris & solidis, vti sunt tibiarum, valet; multo minus in narium ossibus conuenientia. Amica vero contra ea sunt acria aromatica, vt euphorbium, latius *ibidem* laudatum, vt & oleum caryophyllorum eo casu probatissimi vsus.

(7.) *Corrosiua hæmorrhoidum intuta sunt remedia.* Licet enim crispent corrugentque partes, & escharam inducant, adeoque prodesse videantur, reuera tamen quantum dant, tantum demunt, acrimonia sua perforando parietem intergerinum oppositum, partes affectas & in

vni-

vnitate solutas rodunt & lædunt vlterius. Verum id est non solummodo de mercurio sublimato, oleo vitrioli, & similibus, sed & de liquore ftyptico ipso ex his parato hodie abunde dilaudato, in hæmorrhagiis vasorum. Vitriolica enim & aluminosa, etiamsi proba constrictiva, gaudent tamen eminenti sic acrimonia, vt facile etiam abusus in horum applicatione fieri soleant, vel possint, nisi caueris. Atque in hoc sane, vt alias quoque aliquando, cedunt corrosiua, ceu caustica potentialia, actualibus, quæ magis siccant & parietes firmant, vt constanter coërceantur fluida; seorsim in aneurismate ipso, & vulneribus arteriarum, vbi præsentissimi sunt vsus, minus talia vero corrosiua.

(8.) *Cauendum est, ne corrosiua irritent, & si non prosint, saltim ne noceant.* Valet id partim in casibus dictis, quoad hæmorrhagias, partim in aliis quoque, nominatim in cancro, quem & produxisse hoc titulo visa sunt. Exemplo sint næui materni, quos sane, dum seminalem impressam ideam destruunt, sustulisse corrosiua feliciter obseruata sunt; sed si maiores sint, si mali moris, si improuide adhibita, tantum abest, vt proficiant, vt potius cancrum, irritando & exasperando humores, pariant & post se relinquant. Triste huius rei exemplum in illustri persona notatum est a *D. Præs. differt. de nævis maternis c. 6, p. 27.* vbi ab aquæ fortis vsu incongruo cancer emicuit non localiter tantum, increscente indies malo, sed totum glandosum genus in σύσιν & νέκρωσιν quasi redactum, lethali cum euentu. Valet idem & de vlceribus, seu natura sua cancrosis, seu ex accidenti hoc. Enimvero

Exulent (9.) *in cancro occulto & aperto.* In illo acrimonia in centro detineri & coërceri amat, & licet dometur illud malum, partibus vi corrosiuorum destructis, & fontibus lymphæ exsiccatis, malum tamen non æque

cessat, notante *D. Præs. l. 1. sect. 2. c. 7. Amœn. Mat. Med.* In aperto vero feruorem & acrimoniam, quæ prius in parte solum manebat, per totum corpus distribuunt. Quorsum spectat elegantissimus *Heurnii* textus *sect. 6. aph. comm. 38.* vbi duplex, *inquit*, est in cancro venenum, vnum putrefaciens, quod exacerbatur suppurantibus, alterum erodens, quod exacerbatur cathæreticis: adeo vt & hic illud Ovidianum valeat:

Curando quædam fieri peiora videmus
Vlcera, quæ melius non tetigisse fuit.

(10) *Corrosiua non solum corporeo immediato contactu, sed & subtiliori mediato noxia euadere possunt.* Experimenta huius asserti veritatem non vna confirmant, siue terrea ipsa reputemus, siue alia. Possunt enim & per halitus attenuata atomos facile communicare cum pulmonibus ipsisque spiritibus vitalibus, salina puta maxime, mercurialia & arsenicalia. Sic a calcis viuæ puluerisatæ atomis respirationem difficilem, tussim, lapillos ipsos & phthisin ortam vidit *D. Præs.* Sic *Sennertus Prax. Med. l. 6. part. 6. c. 9.* pictorem quendam, cum capsulam arsenico repletam & diu occlusam aperiret, in lipothymiam incidisse refert, ita vt præstantissimis alexipharmacis vix liberari potuerit. Sic pulmoni insidias strui videmus in metallifodinis ob exhalationes. Vt alia taceamus, consectarium est, frustra imo non sine damno suffitus ex arsenico aliisque corrosiuorum speciebus adhiberi, sive aliis modis, siue cum nicotiana in vsum trahendo. Enimvero cum Phthisin a fuliginibus & exhalationibus acrioribus arsenicalibus, mercurialibus, antimonialibus, vitriolicis & aluminosis produci videamus, consultum omnino erit iis hoc casu penitus abstinere.

S. D. G.

COrrosiuorum natura, vsusque & abusus
Te monstrat Medicum,& comprobat esse virum.
Dignus es idcirco,quem Phœbus murice cingat
Purpureo,dignus,quem super astra ferat.
Perge bonis auibus stadium decurrere nostrum,
Inclyta spes Patriæ, fama perennis erit.

Ita Nobilissimo Domino Doctorando animitus gratulatur
Rudolphus Wilhelmus Crausius,Phil.
& Med. D. Prof. Publ.

VT variis opus est armis ad corporis vsus,
Sic & non minimos vstio ferre solet.
Pellendus cuneis non vnis sæuior hostis;
Diruit, vt seruet, prouida cura cutim.
Tu ferri & geminum calles arcana per ignem,
Ferre paratus opem laurea serta merens.

Singularis affectus ergo meritissimis honoribus Nob. Dn. Doctorandi ex animo applaudo, & felicissimos successus apprecor

PRÆSES.

DUm Te purpuream Medici meruisse tiaram
Caustica demonstrant, præmia digna capis.
Gratulor, atq; magis grator meruisse brabeum:
Eueniant studiis prospera quæq; tuis.

Nobilissimo atque Clarissimo Domino Doctorando,
Fautori suo honoratissimo scrib.
Jo.Hadrianus Slevogtius D.Anat. Chir.
& Bot. P.P. ac Med. Sax. Prouinc.

POndere, mensura,numero,omnia diua Mathesis
Et Medicina sagax rite probare solent.
In *Te* cum dextram jungant, haud omine vano
Auguror hinc magnum nomen, *Amice*, Tibi.

Nobilissimo Domino Doctorando toto pectore gratulaturus de honoribus meritissimis scrib.
Georg. Albert Hamberger, Mathem.
Prof. Ord. & Inspector.

Bellica

BEllica *Te* genuit, *Fautor Clarissime*, tellus,
In qua sanguinei sedes certissima Martis,
Quæ dulcem ignorat requiem, sed tristibus armis,
Cædibus & flammis nullo non claruit ævo.
Sed Tu, Pieridum cultor, non horrida castra,
Sed Musas teneras primo sectatus ab vngue.
In pugnas alii quanto fervore feruntur,
Tanto doctrinæ celsam grassatus ad arcem es.
Raras ingenii mirata est Lipsia dotes,
Hic quoque Doctorum merito versantur in ore.
Omnes quæ victo prædæ referuntur ab hoste,
Cedunt ingenii magno sudore paratis
Diuitiis, in Te quarum iam tanta refulget
Copia, quæ nostra non dedecoranda camœna.
Sperne triumphales, victorum præmia, laurus,
Ecce Tibi roseum nectit sapientia sertum.
Hoc cinctus frontem, curruque inuectus honorum
Finibus optatus dudum reddere paternis.
Suscipe digrediens quod pectore funditur imo
Votum: fata precor studiis dignissima tantis,
Et Tua respiciat conamina sidere fausto
Nunquam non summi magnus regnator Olympi.
Quo plura in patriis ceciderunt millia terris
Marte fero, medica tanto Tu sæpius arte
Ægrotos atri reuoces a limine lethi.

Hæc in honorem Nobilissimi Clarissimique Domini Doctorandi gratulabundus apposuit

Joh. Carol. Tilisch. J. V. C.

(o)